Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

hominis cruce ad baptismum insignari voluisti: consigna tua gratia pectus huius famulæ tuæ. N. quæ tibi in baptismate deputata est, ut ipsa famula tua ab impugnatione et obsidione doemonum liberata, te creatorem suum in ipso suo pectore, iugiter portet, per eum qui venturus est. etc.

Ad humeros.

Domine Jhesu Christe, qui ad passionem iturus, humeris tuis tibimet crucem tuam baiulasti, et scapulas sacratissimas ipsi cruci affixus adponderasti. Munda et libera scapulas huius famulæ tuæ. N. ut liberata ab omni infestatione doemonum pro memoria passionis tuæ iugiter scapulis suis crucem suam levet, tuam crucem recolendo: et te iuvet portare. Qui venturus es. etc.

Ad brachia et manus.

Domine Jhesu Christe misericordissime pater, qui pro redemptione nostra tua sacratissima brachia in stipite crucis cum palmis affixis expandisti, ut nos a Diabolica potestate liberares, propter ipsam amaritudinem passionis tuæ, et extensionem, munda et libera, brachia et palmas huius famulæ tuæ. N. ut liberata libertate tuæ redemptionis, quam fecisti in cruce, glorietur et gaudijs perfruatur sempiternis: Qui vivis et regnas Deus, per. etc.

Ad ventrem.